

571 Disp. XV. Part. V. an animæ rationales &c. 572

nis, ergo est diuersa perfectio individualis. Secundo : Acutior ac subtilior intellectio prouenit à subtiliori anima : sed videmus experientia alios alijs melius intelligere, ergo illa melior intellectio prouenit à meliori & perfectiori anima.

Nec dicas illam subtilitatem intelligendi prouenire à corpore ; nam cum intellectio sit actio spiritualis, melior atque subtilior intellectio prouenit à subtiliori, & perfectiori potentia spirituali ; perfectior autem potentia prouenit à perfectiori anima: Adde quod perfectior intellectio non est deteriorior conditionis, elicitiū loquendo, quām intellectio simpliciter : sed intellectio simpliciter non est à corpore, elicitor enim ab anima, & eius potentia, ergo neque perfectior intellectio vt sic erit à corpore.

Tertio probatur refutatio: Absque vlo merito Angelorum quibusdam Deus dedit nobiliorum naturam, quām alijs, ergo aliquibus hominibus dat nobiliorem animam quām alijs.

Obijcies: si Deus animam alicui daret nobiliorum quām alijs, hoc proueniret eō quod vnum corpus haberet meliores dispositiones quām aliud; sed hoc non ergo neque prius: maior patet: minor probatur, quia dispositiones materiales non possunt attrahere spirituale, & melius materiale non est potens attrahere spirituale, ergo meliores dispositiones organica non possunt de se melioram animam.

Respondeo primò illud totum non prouenire simpliciter, & absoluē ex melioribus dispositionibus, sed ex beneplacito Dei; nam sicut Deus dedit meliorem naturam specificam homini, quām asino, & hoc ex suo beneplacito, ita ex merito suo beneplacito dat meliorem naturam individualiōm Ioanni, quām Petro, hoc, inquam, totum pendet ex voluntate Dei, & hoc est conforme sacra scriptura dicenti, *puer erat ingeniosus & fortius animam bonam*, quare dicitur *animam bonam*, nisi quia diceret meliorem præ alijs, quare enim sapiens iactaret se habere animam bonam, si æqualiter bonam haberet, ac alij homines.

Respondeo secundo non esse inconveniens admittere, quod Deus infundat animam meliorem individualiter ad meliores dispositiones; nam dicam quod sicut positus debitis dispositionibus in embrione tenetur Deus ex pacto naturæ infundere animam rationalem, ita ad meliores dispositiones ex pacto naturæ tenebitur meliore individualiter infundere animam rationalem: & hæc doctrina conformis est decreto Doctorum Parisiensem dicentium animam rationalem in Christo esse perfectiorem animam rationali Iuda proditoris, quod de perfectione supernaturali intelligi nequit, alioquin nihil non dicent illi Doctores.

Obijcies secundo: forma substantialis non recipit magis & minus, sed anima rationalis est forma substantialis, ergo ut est in individuali non recipit magis & minus.

Respondeo substantialiam posse sumi in communī, & pro quidditate, & vt sic non suscipere magis & minus, at verò quatenus est in individuali, & participatur ab illis, suscipere magis & minus, non quidem quod eadem forma nume-

ro intendatur, aut remittatur, sed quod vna forma substantialis sit major, aliā eiudem speciei intelligendo de maioritate perfectionis: & hic nota quod aliqui per suscipere magis & minus intelligent sumere incrementum, & decrementum subiectum: Alij quod suscipere magis & minus sit magis vel minus recedere a suo contrario, seu minus aut magis admiseri suo contrario: Alij quod suscipere magis & minus sit formam habere esse in subiecto secundum maiorem & minorem dispositionem eius: Alij quod hoc proueniat à maiori vel minori radicatione in subiecto, sed predicta omnia videntur tantum posse conuenire, aut saltem magis propriæ formis accidentibus: at verius est abstractando à forma tum substantiali, tum accidental, quod suscipere magis & minus sit esse magis, vel minus alio quoad perfectionem, sicque anima rationalis, & qualibet forma substantialis suscipit magis & minus.

Partitio VI.

De statu separationis animæ rationatis.

M Inutiores quādam difficultates occurruunt examinande circa statum animæ separatae; Prima est, an status animæ separatae à corpore sit illi violentus, aut naturalis, aut præter naturalis? nam res qualibet potest habere hunc triplicem statum v. g. dum lapis est in loco inferiori, dicitur esse in suo statu naturali, at dum est supra, dicitur esse violenter, & contra naturalam, dum verò mouetur circulariter non est contra, neque secundum naturam, sed præter naturalam, dubium ergo est quisnam ex his statibus conueniat animæ separatae?

Conimbricensis hic volunt talem statum esse supra naturalam, at Ruius vult esse naturalis.

Altera difficultas est de motu animæ separatae, an anima separata habeat quamdam vim motuum spiritalem distinctam à vi motuum corporalium, quā totus mouetur homo, quāque in nervis, & musculis residet? Durandus in 3. diss. 22. quest. 5. negat animam rationalem habere peculiarē vim motricem spiritalem; affirmat verò Toletus 3. de anima quest. 9. & alij magis communiter.

DECISIO.

R Esolutione prima: Status animæ separatae est ipsi naturalis: Probatur: quod de se est immortale, in quocumque statu reperitur semper eius entitas & duratio erit naturalis: sed anima separata est immortalis, ergo quod durat post separationem à corpore, erit ipsi naturale.

*S*ecundo: forma, quæ naturaliter informat corpus de se corruptibile, necessariò debet tandem aliquando amittere illam informationem: sed anima ex natura sua est ordinata ad informationem corporis amissibilis, ergo ex natura sua debet illud corpus amittere, at dum aliquid habet aliud ex natura sua, illud habet non violenter, sed naturaliter, nec supra naturalē; anima verò rationalis hoc habet ex se, quod sit aliquando

*Nam. 18.
Status ani-
ma separata
est ipsi natu-
ralis.*